

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis  
Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

S.D. omnibus lecturis has literas

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](#)

S. D. omnibus lecturis has li-  
teras.

Accenderunt Pontificia furia magnū bellum in  
Germania aduersus Imperatorem Henricum quartum. Interfecto autem Rodolfo, quem Papa fece-  
rat Imperatorem missa corona, cui uersus inscri-  
pius fuit,

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolfo:

Factus est dux Saxonici exercitus Marchio Ec-  
bertus, qui tunc regionem ad Salam tenuit. Ab illo  
Ecberto nomen est arcis & oppidi Eckerbergs; nec  
procul inde Ecbertus ille intersectus est, & postea  
sepultus in Neoburgo. In eo oppido Eckerbergs  
natus est hic Esaias Valla, qui adolescens fuit in A-  
cademia Francofordiana, ubi seruuit reuerendo ui-  
ro Andreæ Musculo: postea ministerium Euange-  
lij publica ordinatione ipsi commendatum est uo-  
ce reuerendi uiri Martini Lutheri, cum in urbe Isle-  
bia esset anno 1546. Deinde uocatus ad limites Bo-  
hemie, rursus inde cum alijs pijs pastoribus mul-  
tis pulsus est. Iudico uirum honestum & intel-  
ligentem esse: & habet honestam coniugem, &  
duas filias. Est autem grata Deo pietas, talibus exuli-  
bus pijs & modestis bene facere. Quare oro om-  
nes honestos uiros, ut huic Esiae Eckerbergensi ho-  
spitalia officia præstent: & sicut erit occasio, ipsi  
locum docendi, & exulanti familie nidum præ-  
beant.

beant. Leniamus pijs exilibus ærumnas: et prece-  
mur, ut Deus nobis omnibus calamitates nostras  
mitiget. Date Calendis Septembris, Anno 1558.

Philippus Melanchthon.

Simoni cuidam.

Memini hunc nostrum auditorem Simonem,  
subditum uestrum, diu et feliciter in Academia no-  
stra didicisse et philosophiam et doctrinam Chri-  
sti. Postea etiam Norimberge in familia honesta iu-  
uentutem erudit. Laudatur testimonij honorū ui-  
rorum, qui scribunt mores eius honestos esse, et ci-  
ues quandam ei Ecclesiam in vicino oppido com-  
mendaturos fuisse: sed ipsum amor patriæ mouet,  
ut iſthuc redeat. Quare eum uobis commendō, et  
spero Ecclesię Dei fideliter et utiliter seruiturum  
esse. Nam et mores eius sunt pijs, et doctrina pre-  
clarè instructus est. Bene et feliciter uale, Die 21  
Augusti.

Philippus Melanchthon.

Magnifico Cancellario inclyti Electoris  
Marchionis, præstanti sapientia & uirtu-  
te, Ioanni Vuelnawbio, patrono  
suo colendo,

S. D. Magnifice domine Cancellarie, et ami-  
ce colende et charissime. Non hoc mihi sumo, ut in  
D alienæ